

quoque in balneo famulum fecimus caput suum in pelvim subter aquam cum aëre depressam inferere, qui ad dimidium quarta partis hora sub eodem mansit, donec aërem ex anhelitu suo tepesactum, sensum quendam suffocationis induxisse sentiret. Magis autem miretur quispiam, artis hujus fundamenta quædam Aristotelis ævo jam dum fuisse jacta, prout è Sect. XXXII. Probl. V. manifestissimum est. Ibi namque causam inquirens Philosophus, cur urinatores aures naresque secare aut findere soleant, postquam docuisset, id emittendi tantò facilius spiritus gratia fieri, quem difficulter retinere valeant; sub finem solutionis annectit modum inspirationis quoque juvandæ, quâ penitus alioquin sub aquis destituerentur, hisce quidem mutilis, meo iudicio, verbis: *Ὁμοίως ἀναπνοὴν ποιοῦσι τοῖς κολυμβηταῖς λέβητα κ' φέλις. ἐπίπλαται γὰρ εἶς τῆ ὕδατος, ἀλλὰ τηρεῖ τὸν αἶρα. μετὰ βίας γὰρ ἢ κἀθεσις. ὁρῶν γὰρ ὅτι ἔν παρὲς κλιθεὶν εἰσρεῖ. i. e. interpretate Theodoro Gaza pleniorē, ut videtur, lectionem sequuto: *Pleriq; verò lebete demisso respirandi viam urinatoribus moliuntur: haut enim aquâ lebes impletur, sed aëra servat ad demersum hominem usque: quippe qui erectus per vim demittatur, ut undique equali nutu descendat: nam si quantumlibet inclinavit, humore protinus interrumpente impleatur, necesse est.* Equibus id tamen videmus, urinatoribus jam mersis lebetem aëre plenum per aquas transmissum esse, cui postea, quoties esset respirato opus, caput inferere possent, hausto sufficiente aëre ad opus suum regressuri; nondum autem de urinatoribus ipsis ita tegendis muniendisque cogitatum tum fuisse ut ampliore aëris sphaerâ conclusi, sicco capite cæteroque umbilicotenus corpore, mari in profunda, sicut hodie, subirent.*

Neque verò hîc omittenda sunt ea, quæ *Joannes Taisnerus in Opusculo de motu celerrimo*, narrat (allegante quid. P. Schottô Techn. Curiosæ Lib. VI. Cap. IX) se scilicet, inter decem mille propemodum spectatores alios, Anno 1538. in Hispaniæ oppido Toletô vidisse, Græcos duos, in Conspectu Caroli V. etiam gloriosissimæ memoriæ Imperatoris, sub aquas profundas descendere siccis vestibus nec madidâ minimâ corporis parte, atque etiam ignem vivum ex aquæ fundo secum deferre: eos nempe cacabo magnæ amplitudinis accepto, orificio inverso, funibus in aëre pendente, trabem & afferes in medio concavi cacabi affixisse, quibus se cum igne reciperent; plumbis circumferentiam cacabi circumquaque æqualiter & ejusdem ponderis ad æquilibrium firmasse, ne scilicet demisso in aquas cacabo, aliqua pars circumferentiæ orificii cacabi citiùs aut fortiùs aquas tangeret: quia tunc facile esset, aquam aërem in cacabo inclusum vincere, & in humores liquidos resolvere (*verius aërem, obliquato sic cacabo, paulatim ad latera exprimere.*) Si verò debitâ proportionē lentè in aquas sic paratus cacabus demittatur, aërem in cacabo inclusum (aquâ resistente) locum sibi facere & violen-